

MEDITATIONVM

AD

PANDECTAS

QVIBVS

**PRAECIPVA IVRIS
CAPITA EX FONTIBVS
PHILOSOPHICIS EX-
PLICANTVR**

S P E C I M E N I.

PRAESIDE

IOACHIMO GEORGIO DARIES

POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIS INTIMIS
IVR. ET PHILOS. DOCTORE IN ILLVSTR. VIA-

DRINA IVR. ATQVE PHIL. PROF. PVBL.

ORD. SENATVS ACAD. SCIENT. VTL.

ELECT. MOG. ASSES. ORDINA-

RIO &c. &c.

IN AVDITORIO IVRIDICO

D. XXII. FEBR. M DCC LXV.


DEFENDIT

GOTTHOLD FRIDERICVS THEODORVS

ZIMMERMANN

Saxo Electoralis.

PHIL. ET IVR. CVLTOR.



FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,

Typis M. HVEBNERI.



A
SON EXCELLENCE
MONSEIGNEUR
LE COMTE
HENRI IX. DE REUSS
COMTE DU ST. EMPIRE
MINISTRE D'ETAT ET DE GUERRE DU
ROI, VICE PRESIDENT ET MINISTRE
DIRIGENT DU DIRECTOIRE GENERAL
ET SUPERIEUR DES FINANCES DE
GUERRE ET DES DOMAINES PROTE-
CTEUR DU COLLEGE SUPE-
RIEUR DES MEDICINS
ET
MARECHAL DE LA COUR DE SA MAIESTE LA
REINE, CHEVALIER DE L'ORDRE DE
L'AIGLE NOIRE, &c. &c.

A
SON EXCELLENCE
MONSEIGNEUR
PHILIPPE JOSEPH
DE IARIGES
GRAND CHANCELLIER DU ROIAUME
DE PRUSSE CHEF DES IUSTICES ET
MINISTRE D'ETAT DE SA MA-
IESTE LE ROI DE PRUSSE
ET
MEMBRE DE L'ACADEMIE ROIALE
DES SCIENCES.

A
SON EXCELLENCE
MONSIEUR
LE BARON
CHARLES JOSEPH
DE FURST ET KUPFERBERG
MINISTRE D'ETAT DE SA MAIESTE LE
ROI, PRESIDENT DU HAUT TRIBUNAL,
DIRECTEUR DES AFFAIRES FEU-
DALES ET CURATEUR DES TOU-
TES LES UNIVERSITES
ROIALES.

A
SON EXCELLENCE
MONSIEUR
JEAN LOUIS D'ORVILLE
MINISTRE D'ETAT DU ROI, CHEF-PRESI-
DENT DE LA CHAMBRE SUPERIEURE DE
IUSTICE, ET DU DIRECTOIRE DES EGLI-
SES REFORMEES ALLEMANDES, DU
CONSISTOIRE SUPERIEUR ET DE
TOUS LES TRIBUNAUX DES
COLONIES FRANCOISES.
SEIGNEUR
DE
WAHLSDORF ET KERZENDORF.

MES.

MESSEIGNEURS!



I ne ne puis porter mes regards
sur L'élévation de vos il-
lustres personnes, et sur l'eclat
des dignités dont vous êtes revêtues,
que je ne me sente pénétré de ce pro-
fond respect, qu'inspirent les grands mé-
rites, lorsque l'oeil du Prince les distin-

gue et que sa main les recompense. Peu
s'en faut, que je ne rougisse du dessein
que j'avois conçû d'offrir ce chetif pa-
pier a VOS EXCELLENCES, et de le LEUR
dedier. Je vois fort bien, que c'est une
temerité de vouloir interrompre le cours
de vos importantes occupations. Je
n'ai pas même l'avantage de pouvoir ex-
cuser cette hardiesse par le mérite de la
composition. La piece est la production
d'un esprit dont j'admire la profondeur
et dont je respecte les traces, me conten-
tant de faire des efforts continuels pour
les suivre. Elle est destinée à être la ma-
tiere d'une dispute publique, ou je me
suis chargé d'en defendre les theses : mais
cette entreprise même seroit fort superi-
eure à mes forces, s'il sagissoit d'un com-
bat réel, et si ce n'etoit pas un simple ex-
ercice. Il ne me reste donc de ressource
que dans l'indulgence de VOS EXCLLEN-
CES,

GES, et dans la sincérité de ma devotion.
C'est tout ce qui me rassûre, mais c'est assez pour me rassûrer plainement. A qui addresserois-je cette dissertation à plus juste titre qu' a VOS EXCELLENCES, sous les auspices des quelles je consacrerai, avec le secours de Dieu, au service du Roi et de L' etat, pendant tout le cours de ma vie, le fruit de mes études présentes. Daignez, MESSEIGNEURS, favoriser des études destinées à de si belles fins. Honorez d'un regard gracieux ce papier que je prends la liberté de vous présenter. Ne refusez pas VOTRE protection à un suppliant, qui s'engage à faire toujours tout ce, qui depend de lui, pour se rendre digne de cette grace. Puisiez VOUS, MESSEIGNEURS vivre, augré de nos souhaits, pour faire encore long tems les délices de notre Monarche! Puisent Vos sages et salutaires

con-

conseils tourner, toujours à la gloire du
Roi, au bónheur de ses peuples, et au
maintien de la iustice. Je suis avec une
entiere soumission

MESSEIGNEURS
DE
VOS EXCELLENCES

Le 23. Fevr.
1765.

le tres-humble et tres-obéissant
serviteur

GOTTHOLD FREDERIC THEODOR
ZIMMERMANN.



MEDITATIONVM AD PANDECTAS

PRAECIPVA IVRIS CAPITA EX FONTE
QVIBVS
BVS PHILOSOPHICIS EXPLICANTVR

SPECIMEN I.

AD LIB. I. T. I.

MEDITATIO I.

DE

DEFINITIONE IVRIS PRUDENTIAE.

§. I.

Per multi cum b. LEYSERO a) affir-
mant veram caussam, ob quam VLPRI-
ANVS b) jurisprudentiam definitivit di-
vinarum atque humanarum rerum no-
titiam, justi atque injusti scientiam,
suisse aemulationem. *Alii* hujus definitionis caussam

A

in

in eo ponunt, quia jurisprudentia in ecclesiasticam et civilem merito dividenda. Sed permittant Doctores, ut nec ad illorum nec ad horum accedam sententiam. Definitio, quam VLPIANVS de jurisprudentia assert, mea ex sententia regulis, quas ars cogitandi de formandis definitionibus praescribit, conveniens est, et nativam vocis significationem clare indicat atque perspicue. Accipe hujus sententiae rationem.

¶ In Medit. ad ff. Vol. I, Spec. II, Med. I.
L. 10. §. 2. b. t.

§. II.

Primo probandum erit, rerum divinarum atque humanarum notitiam esse verae philosophiae definitio- nem. Fiat id ea, quae sequitur, ratione. Qui in originem fataque philosophiae inquirit, facile conce- det, veram philosophiam ceteris a scientis non ratio- ne objecti, sed ratione ejus, quod est principium co- gnoscendi, distinguendam esse. Philosophus rerum format notiones, notionum construit nexus, et inde infert quae vera vel falsa sunt. Sume rationem divi- sionis ex objecto, et explices, quaeso, quomodo phi- losophia de re theologica, de re juridica, de re me- dica, de re mathematica, de re oeconomica et reli- quis fieri poterit. Bene itaque philosophi, qui philosophiae formant definitionem, aut cum b. WOLFIO docent, philosophum de objectis sermonem facere quatenus sunt talia: in ea enim, quae per objectum, qua tale, possibilia sunt, inquirere idem est

est, ac nil sumere nisi rei notionem, et ex ea rei inferre determinationes ^{a)}; aut cum aliis, philosophum cognitionem veri et boni ex recta ratione derivare ^{b)}: ratio enim est facultas nexus veritatum ex notionibus perspiciendi ^{c)}. Philosophia itaque est ea rerum cognitio, cuius fundamentum sunt rerum notiones. Quare, quum ejusmodi rerum cognitio, cuius fundamentum sit notio, a veteribus vocata sit notitia ^{d)}: consequens erit, ut rerum divinarum atque humanarum notitia, verae philosophiae seu philosophicae cognitionis sit definitio.

^{a)} Vid. WOLFII Phil. rat.

^{b)} Vid. HEINBECII Elem. phil. ration. P. I. Cap. I. §. I. H. H. V. MANNI Act. phil. P. II. N. IV.

^{c)} Vid. WOLFII Phys. holog. empir. §. 483. ff.

^{d)} Testimonia mihi compendii causa hoc loco sint NICOL. PERTOTTVS in Cornucop. pag. 532. PLEXIACI Lex. phil. voce Notio,

§. III.

Quae cum ita sint, facile erit perspicere legitimam definitionis, quam VLPIANVS de jurisprudentia assert, interpretationem esse, quae hunc ponit sensum: Jurisprudentia est philosophia, quatenus accommodatur ad Scientiam justi atque injusti componendam. Verae addit philosophiae definitionem ad docendum, jurisprudentiam non esse vulgarem scientiam sed solidam, ea vero scientiae affectio tum demum ponit potest, quoties est philosophica vel philosophiae accommodatio. Loca, quae parallela vocantur, eam definitionis interpretationem confirmant.

VLPIANVS L. I. h. t. objecto, circa quod jurisprudentia versatur, verbis, quae sequuntur, explicato: *Jus est ars boni et aequi, cuius merito quis nos Sacerdotes appelleret, justitiam namque colimus, et boni et aequi notitiam profitemur; aequum ab iniquo separantes, lictum ab illico discernentes: bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione efficere cupientes; addit formale, veram philosophiam affectantes.* Jam ponitur quaestio: quaenam sit vera ea philosophia, quam ICti in componenda jurisprudentia affectare debent; et definitio de jurisprudentia data respondet, est ea, quae est rerum divinarum atque humanarum notitia. Quum enim scientia justi atque injusti jurisprudentiae indicet materiale, de quo L. I. verba fecit; consequens est, notitiam rerum divinarum atque humanarum indicare ejus formale, de quo L. I. dictum, ideoque verae philosophiae, quam ICti affectare debent, naturam.

COROLLARIUM.

Definitionem, quam VLPIANVS L. 10. h. t. de justitia afferit, qua sit constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, idem significare quod definitio, quam b. WOLFIUS de justitia formavit, qua sit bonditas sapientiae temperata, ex eo quod constans et perpetua voluntas secundum Stoicorum sententiam sit virtus, satis, ut opinor, b. philosophus §. 1067. Part. I. Theol. nat. et §. 926. Part. I. L. N. demonstravit.

MEDI-

MEDITATIO II.

DE
IVRIVM DIVISIONE.

§. I.

Quia usum philosophiae in explicandis praecipuis juris capitibus demonstraturus sum, haud inepte forsitan fecero, si in primo hocce specimine quaedam dixerim de ea ratione, qua jus, quod ut genus sumitur, in diversas species legitime resolvendum. Eam enim juris divisionem universae jurisprudentiae veluti ichnographiam esse, iis ex juris capitibus, quae in controversiam vocantur, clarum atque manifestum est.

§. II.

Ex eo, quod *species* est genus magis determinatum, legitime inferunt philosophi, regulas, quae sequuntur, ab eo observandas esse, qui genus in species legitime resolvere cupit. *Primo* generis evolvat notiōnem. *Secundo* notet eum generis characterem, cuius relatione quaestio sumenda, ad quam respondet character, qui genus ad formandam speciem magis determinat. *Tertio* species, quae eadem in relatione formantur, sint in ratione contradictoria. *Quarto*, ejusdem generis species, quae e diverso finiūt fonte, non construant divisionem, sed codivisiones, quarum membra ad alias formandas notiones et ad detegenda theorematum componi possunt. Hasce regulas usumque, quas in invenienda veritate praestant, satis, ut opinor, in via ad veritatem demonstravi.

A 3

§. III.

§. III.

His praestructis primo divisionem juris vsu receptam sub examen revocabimus, et deinde inaedificabimus. Jurium antiquo more tria constituuntur genera, vel *personas* spectant, vel *res*, vel *actiones*, quae nimurum sunt media ius suum in judicio persequendi; inde jus est vel *personarum* vel *rerum* vel *actionum*. Causam jus ea ratione dividendi dedit, ut opinor, inscriptio Tit. III. Lib. I. Inst. de jure personarum. Jam quaeritur, quid ea in divisione significet jus, quod ut genus sumitur; et quenaam sit quaestio in relatione ad jus illud sumenda, ad quam respondent determinationes, quae ejusmodi specierum exhibent notiones. Jus pluribus modis dici, notum est *a*). Evolvas omnes, quae sumuntur significaciones, et facile perspicies, hac in divisione sermonem esse de jure systematico seu objective sumto, qua est ars boni & aequi, seu justitiae in iusti scientia, id est, jurisprudentia. Evolvas porro omnes, quae in relatione ad tale jus sumi possunt quaestiones *b*), et facile intelliges, ad quaestionem de obiecto respondere, jus illud in jus personarum, jus rerum et jus actionum dividentes. Sensus itaque datae divisionis est, qui sequitur. Jurisprudentiae duo constituuntur capita, alterum quod theoriam de iusto atque injusto, seu *vs deo* a quo jus dicitur, id est, de eo, quod in statu hominum morali conveniens est et non conveniens, construit: alterum quod viam delineat componendi controversias, quae in statu libertatis est bellum, in statu subjectionis judicium *c*). *Vl-*
timum

timum in jure civili, quod statum subjectionis sumit, vocatur prudentia judicialis seu jus actionum: primum, quod vocatur scientia juris, inquirit in ea, quae justa atque injusta sunt, aut circa personas aut circa res. Illud vocatur jus personarum, et hoc jus rerum.

a) Confer. Vol. II. Observ. I. N. Obs. II.

b) Vide viam ad veritatem. §. CCCXIX. seqq.

c) Vid. Vol. II. Obs. I. N. Obs. LXVIII.

§. IV.

Ita vera & regulis conveniens est ea iuris divisio antiquo more constructa. Sed ab hac iuris significatione ea est diversa, qua jus personarum dicitur ius, ex statu descendens, et qua ius rerum dividitur in *ius in re* et *ius ad rem*, quorun illud sit facultas, quae competit in ipsam rem nobis devinclam sine respectu certae alicuius personae, et hoc, facultas, quae competit in personam nobis obligatam ad dandum aliquid vel faciendum. Haec quoque iuris divisio matrem ab ea, a qua divisio §. III. explicata dependet, agnoscit diversam. Jus enim illud personarum est species iuris, quae e response ad quaestionem de causa oritur, et divisio iuris in ius in re et ius ad rem descendit a response ad quaestionem de iuris effectu. Id quod datis ex notionibus clarum est et manifestum. Despiciamus porro quid significet ius, cuius in relatione quaestio de causa et quaestio de effectu sumenda, si ad eas responses notiones illas de iure personarum, de iure in re, et de iure ad rem exhibere possint, et manifestum erit, hoc loco ius subiective sumendum esse,

8) o (8)

esse, quo, ut cum GROTI^a) loquar, est qualitas
moralis personae competens ad aliquid iuste haben-
dum vel agendum, aut cum WOLFI^b) facultas agen-
di quod moraliter possibile est, et non agendi, quod
moraliter impossibile, id est, facultas agendi quod aet-
quum ac bonum est, quae sint verba PAULI^c). Quia
porro iurisprudentiae civilis est, de ea facultate mora-
li dicere, quae coactione quadam iuste exerceri potest,
seu quae cum iure cogendi alterum coniuncta est; per
se patet, ius quod ea, quam dixi, ratione dividitur
esse ius alterum cogendi.

^a) I. B. et P. Lib. I. Cap. I. §. JV.

^b) P. I. Phil. præct. univ. §. 156.

^c) L. II. ff. h.e.

§. V.

Ex eo perspicue adpareat, haud commode docere, qui
ius dividunt in ius personarum, quod sit ius ex statu de-
scendens, et ius rerum, & hoc in ius in re et ius ad rem.
Si enim ius rerum sit cospecies iuris personarum, ius
obiective seu systematicae erit sumendum, et in relati-
one ad quaestionem de obiecto determinatum (§. III).
Si vero ius in re et ius ad rem sint cospecies iuris per-
sonarum, non alia solum iuris significatio, ea nimi-
rum, qua est facultas moralis, sumenda erit, sed et
notio iuris diversa in relatione determinanda. Notio
iuris personarum respondet ad quaestionem de causa,
et notiones de iure in re et ad rem respondent ad quaes-
tionem de effectu. (§. IV.)

§. VI.

§. VI.

Construamus divisionem iuris philosophiam affectantes. vid. §. II. Primo ponatur genus determinandum, quod est ius pro facultate morali sumendum, quod hoc loco est ius alterum cogendi. Haec itaque erit notio determinanda: *alium competit ius alterum cogendi*. Jam evoluntur quaestiones in relatione datam ad notionem sumendae, quae sunt *quaestio de effectu*, *quaestio de causa*, et *quaestio de modo habendi*, et regulis, quas logica in arte dividendi et componendi praescribit, observatis fiat responsio.

§. VII.

Primo ad quaestionem de effectu. Mihi competit ius alterum cogendi. Quem in finem? Philosophia de iure respondet, aut ad omittendum, aut ad committendum. *Mud* est ius alios ab usu eius, de quo quaestio est, excludendi, et *hes* est ius postulandi ut alter mihi aliquid praestet. Duo itaque illo ex fonte fluunt genera iuris. Quaeramus de eorum nominibus. Doctores tria eiusmodi iuris constituant genera, ius personarum, ius in re et ius ad rem. *Jus personarum* hanc ad divisionem non pertinet. Aut enim sumitur in oppositione ad ius rerum et ad ius actionum, aut a iure in re et iure ad rem distinguitur. Si prius, pertinet ad divisionem iuris systematicae sumti, et involvit determinationem obiecti (§. III). Si posterius, notio iuris personarum non ad quaestionem de effectu, sed ad quaestionem de causa respondet

B

(§. V).

(§. V). Manent itaque hoc loco *ius in re* et *ius ad rem*. Quare quum *ius ad rem* secundum doctorum sententiam teste LAVTERBACHIO ^{a)} sit ius, quod nobis competit in personam, eamque afficit, et nobis ad aliquid praestandum adstringit; manifestum est, ius illud alios ab vsu eius, de quo quaestio est, excludendi esse *ius in re*.

^{a)} In Colleg. theoretico-pract. Pars I. pag. 531. et 138.

§. VIII.

Accipe datae de iure in re definitionis probationem. Constituerunt doctores quinque iuris in respectibus, dominium, pignus, servitutem, ius hereditarium atque possessionem. Sumamus eas, et quia species sint genus magis determinatum, abstrahamus notionem, qua convenient, et haec erit ius alios ab vsu eius, de quo quaestio est, excludendi. Id quod ex eiusmodi iurum effectibus, *rei nimirum vindicatione*, quae ex dominio, *actione hypothecaria*, quae ex pignore, *actione confessoria atque negatoria*, quae ex servitate, *hereditatis petitione*, quae ex iure hereditario, et *interditio*, quod ex possessione, ut dicunt, oritur manifestum est,

§. IX.

Dixi, *eius de quo quaestio est*. Quum enim ius et circa personas et circa res a personis distinctas versetur (§. III.); consequens est, ut eiusmodi iuris excludendi obiectum et persona et res esse possit. Datur itaque ius alios ab vsu personae excludendi; datur quoque ius alios ab vsu rei excludendi. Sit ultimum

timum notio iuri in re respondens, et ius illud alios ab vsu eius de quo quaestio est excludendi, quatenus in genere sumitur, cum LAVTEREACHIO^{a)} vocari poterit *jus reale*, quo facto *jus reale* aliud erit, quod in personis, aliud quod in re datur.

a) In colleg. theoretico-pract. Part. III. pag. 564. §. VIII.

§. X.

Ex eo perspicue adparet, ius, de quo hoc loco sermo est, vid. §. VI. ex primo, quod §. VII. sumptum est, fundamento in *jus reale* et *personale* dividendum esse. *Illud* est ius alios ab vsu eius, de quo quaestio est, excludendi, et *hoc* est ius postulandi, ut alter nobis aliquid praestet. *Jure reali* alios aut ab vsu personae, aut ab vsu rei excludimus. Priori ratione vocatur *jus reale in personis*, et posteriori ratione, *jus reale in re*. Porro ad similitudinem *jus personale* in ius ad personam, et ius ad rem potest dividi. *Illud* est ius postulandi, ut alter nobis factum aliquod; *hoc* ius postulandi, ut nobis rem quandam praestet. (§. VII.).

§. XI.

Disputant quoque doctores de iuris realis divisione. Hodie in Academiis Germaniae plerisque omnibus communi voto, et quasi ita lex publica iussisset probata est, ea sententia, qua ius reale est vel dominium, vel pignus, vel servitus, vel hereditas, vel possessio. Sed, quod pace doctorum fiat, genera iuris realis secundum regulas, quas Logica ex natura divisionis deduxit, vid. §. II. constituamus,

B. 2

philoso-

philosophiam affectantes. Et divisio iuris realis, ea erit, quae sequitur. *Jus reale* est jus alios ab vsu eius, de quo quaestio est, excludendi. Philosophia de iure, id est, ius naturae docet, ^{a)} et conceptum negantem, et conceptum ajentem sumendum esse, qui eam involvunt notionem. Aut enim ius illud excludendi cum iure de obiecto illo disponendi connexum est, aut eo cum iure disponendi nondum est connexum. Ultimum in *Institutionibus Jurisprudentiae universalis*, et *Institutionibus Jurisprudentiae privatae* vocavi *jus in re jacente*. Accipe huius rationem. Doctores, qui hereditatem inter iura realia referunt, intelligunt ius hereditarium, quatenus est tale, id est, ius alios ab vsu hereditatis excludendi hereditate nondum adita, eamque hereditatem vocant *hereditatem jacentem* ^{b)}. Conceptus genericus, quem ea notio involvit, est ius alios ab vsu rei excludendi, quod nondum connexum est cum iure de re illa disponendi. Vt si itaque loquendi a doctoribus recepto conveniens est, ius illud excludendi in genere sumtum *jus in re jacente* vocare.

^{a)} Vid. §. 448. Inst. Jurispr. univers.

^{b)} Vid. MARTINI Jurispr. civil. et crim. pag. 349.

§. XII.

Est itaque hereditas species iuris in re, sed non in primo divisionis gradu, sed in subdivisione iuris in re jacente. Ideoque ea primo loco evolvenda sunt, quae ex iuri in re jacente natura ac inde fluant, et inde deducta post haec non ad hereditatem solum, sed et ad alias huius iuri species, quas ius venandi, doctrina de

de accessione, et quae reliqua, exhibent, admodum
et per differentiam eius, quod sumitur, specificam ma-
gis determinanda. Hoc facto auditoribus non solum
doctrinae, sed et earum nexus inter se perspicue ob-
oculos ponuntur, quod per officium fieri debet, quod
docenti incumbit.

§. XIII.

Alterum juris realis genus §. XI. positum conne-
xum est cum iure de obiecto disponendi. Quoad ob-
iectum philosophi substantiam distingunt a consesta-
riis, quae per obiectum ponи possunt. Jus itaque il-
lud reale aut involvit ius de ipsa substantia disporen-
di, aut solummodo ius de consecutariis obiecti dispo-
nendi. Illud dat definitionem *de dominio*. Huius ra-
tione quaeritur de fine, qui aut est utilitas, aut secu-
ritas eius, quod alter debet. Si prius ius reale voca-
tur *servitus*, si posterius, *pignus*. Eas iurum definitio-
nes usi loquendi convenientes esse, alio loco a) satis,
vt opinor, probatum est.

a) Inst. Jurispr. Univers., et Inst. Jurispr. Romano-Germ. Conf.
LAVTERBACH I.c. P. I. pag. 138. §. III.

§. XIV.

Certissimum ita est, artem dividendi non permitte-
re, vt plura aut pauciora iuris realis seu iuris in re con-
stituerentur genera, quam quatuor, *dominium, servitus,*
pignus et jus in re jacente (§. XI. XIII. §. VI.), in cu-
iuis subdivisione ponenda *hereditas*. (§. XII.) Sed quae-
ritur de possessione. Estne et haec vera iuris in re

B 3

species?

species? cum b. HEINECCIO ^{a)} negando respondentum esse censeo. Accipe rationem. Si possessio sit ius in re, seu ius-reale, aut sermo erit de possessione, quae est facti, aut de iure possidendi, aut de possessione, quae a doctoribus, bonorum vocatur possessio. *Vltimum* non est nova juris in re species. Ea enim possessio est ius hereditarium iure praetorio delatum ^{b)}, ideoque in subdivisione hereditatis ponitur. *Secundum* non est juris realis species, sed tale ius, quod alicui est ex iure quodam reali, ideoque est juris realis affectio ^{c)}. *Primum* non esse ius reale inde manifestum est, quia facta non sunt iura ^{d)}. Concedo, ius rem retinendi fluere e possessione, sed nego inde sequi, possessionem esse ius in re. *Aliud* enim est ratio, ex qua praesumptio juris fluit. *Aliud* est ius. Praesumptionem juris e possessione deducendam esse satis, ut opinor, in institutionibus iurisprudentiae vniuersalis demonstravi.

^{a)} §. CCCXXXIV. Instir.

^{b)} Cont. pr. I. de bon. poss. L. 3. §. 2. ff. eadem.

^{c)} Conf. §. 690. Inst. Jurispr. privatae, et §. 449. inst. I. N.

^{d)} Vid. L. I. §. 3. ff. de adq. et amitt. poss. LAVTERBACH colleg. theor. pract. P. III. pag. 215. ff.

§. XV.

Haec de quaestione de effectu. Sequitur altera de caussa. (§. VI.) Quum ius, de quo hoc loco sermo est, sit facultas moralis (§. V.): consequens est, tale ius nobis non competere, nisi quatenus ex relatione ad leges ortum trahat. Oritur vero ex lege aut

aut immediate, aut mediante facto. Immediate ex lege oritur, seu, ut cum GROTIUS loquar, iuris exple-
tione quatenus eius fundamentum est principium il-
lud: *Jus ad finem dat ius ad media sufficientia a).* Quare,
quum ius ad finem nobis aut ea ex ratione competit,
quia est finis status, quem iuste habemus, aut quia est
finis naturae: sequitur, ut iurium, quae iuris exple-
tione nobis esse possunt, duo constituenda sint genera:
alterum, quod ea continet iura ad media, quae ad finem
status, *alterum* ea, quae ad finem naturae ducunt. Illa
a doctoribus vocantur *iura personarum*. Et haec, si sunt
iura realia, *adquisitiones ex lege*, si vero sunt iura perso-
nalia, *jura quae ex quasi-contractu descendunt*.

a) Vid. Obs. I, N. Vol. II, Obs. XXXVI,

§. XVI.

De acquisitionibus ex lege, et de iuribus, quae
quasi ex contractu oriuntur, suo loco plura. Per sco-
pum, quem mihi hoc loco posui, satis erit probare,
datam de iure personarum, quod ut cospecies iuris in
re et iuris ad rem sumitur, definitionem usui loquen-
di a doctoribus recepto convenientem esse. Accipe
eam probationem. LAVTERRACH a) statum hominum,
de quo hoc loco sermo est, definit conditionem seu qua-
litatem personarum, quae facit, ut quis societas alicujus mem-
brum sit, ejusdemque juris communione habeat. Qua defi-
nitione posita pergit: *ex hac qualitate descendit jus persona-*
rum, quod est facultas hominibus ex civili sua condizione in socie-
tate competens. Manifestum inde est, iura, quae a phi-
loso-

Iosophilis *socialia* vocantur, secundum usum loquendi a doctoribus receptum esse iura personarum. Idem facili negotio iis e capitibus induci potest, quibus corpus iuris illud personarum absolvit. Quare, quae iura socialia juris explectione ex fine societatis descendunt: b) sequitur, ut iura, quae juris explectione ex fine societatis oriuntur, sint iura personarum. Jam ponitur quaestio, an ea notio, sit vera iuris personarum, iuris in re et ad rem contradistincti, definitio. Negando respondendum esse censeo. Jura enim quae masculis et feminis, qua talibus, competit, iura nascuntur, quatenus est talis, iura, quae quis per aetatem habet, inter iura personarum a doctoribus referuntur. Inducamus itaque definitiōnēm. Omnia illa iura juris explectione oriuntur ex fine status, quem quis habet, et qui significat collectionem determinationum, quae in subiecto ut existentes sumuntur c), et iura, quae ex eiusmodi status fine ea, quam dixi, ratione non descendunt, inter iura personarum minime referuntur. Ergo quae dixi satis sunt ad probandum, datam definitionem usui loquendi a doctoribus recepto esse convenientem.

a) l.c. Part. I. pag. 100, §. III.

b) Vid. §. 532. Inst. Jurispr. vniuersitatis.

c) Vid. §. 2 Præcog. Jurisp. vniuersitatis.

§. XVII.

Ergo *jus illud personarum* non est species iuris, quae iuri reali seu in re, et iuri personali seu ad rem opponitur,

ponitur, sed iura illa sunt species coordinatae, quae componi possunt (§. II.) Ideoque ex eo, quod ius, quod sumitur, sit ius personarum, non fluit, ea non admodumanda esse, quae ex iure reali legitime deducta, poni enim potest ius personarum, quod est ius reale, seu in re, poni quoque potest, quod est ius personale seu ad rem. e. g. Jus marito competens uxorem vindicandi, quoad effectum est ius reale, seu ius in re, quatenus res significatione sumitur latiori, seu ius in persona, (§. VII.) quoad caussam vero est ius personarum (§. XV.). Porro ius marito competens postulandi ut uxor societati operas praestet oeconomicas, licet quoad caussam sit ius personarum, (§. XV.) quoad effectum tamen inter iura personalia, seu iura ad rem, quoties res latiori sumitur significatione, seu jura ad personam referri debet (§. X.). Et quae reliqua. a)

a) Conf. Diff. de iure vindicandi servos fugitivos.

§. XVIII.

Factum quo mediante ex lege iura descendunt, (vid. §. XV.) aut nostrum est aut alienum. Si illud est occupatio, quod ius reale seu ius in re, et conventio seu pactum, inde contractus, quod ius personale seu ad rem efficit. Si hoc, est traditio, quae ius reale seu ius in re, et turbatio, inde delicta, quae ius personale seu ad rem producit. Sed de his suo loco plura.

§. XIX.

Sequitur quaestio tertia de modo habendi. (§. VI.)

C

Alicui

Alicui competit ius alterum cogendi. Quaeritur quomodo? Philosophia de iure respondet: competit hūic aut quatenus est talis, aut quatenus est in determinato quodam nexu, ea nimirum ratione, vt, qui eum in nemum succedit, simil in ius illud succedat. Quorum prius etiam *jus personale*, et posterius *jus reale* dicitur. Id quod ex doctrina de privilegiis personalibus atque realibus manifestum est. Ambigua itaque est *vocum*, *juris personalis* et *juris realis* significatio. *Alia*, qua ius personale idem est quod *jus ad rem*, et *ius reale* idem, quod *ius in re*, quoties nimirum res non opponitur personis, sed personam involvit. (§. X.) *Alia*, qua ius personale idem sit ac *ius*, quod nobis personaliter, et *ius reale* idem sit ac *ius*, quod nobis realiter competit. Ne vero ambigua *vocum* significatio fieret mater rixarum, et *ius reale* et *ius personale* posteriori significatione sumta a fundamento distinctionis, *jura ratione modi*, habendi nimirum, *alia* in institutionibus Jurisprudentiae privatae vocata sunt.

§. XX.

Accipe itaque eam iurisprudentiae universae ichnographiam. *Jus*, de quo in iurisprudentia civilis sermo est, aut est *ius in re* aut *ius ad rem*, si nimirum res significazione sumatur latiori. Si vero ea sit *vocis rei* significatio, qua personis opponitur, omne *ius* erit *personale* aut *reale* (§. VII, X.). Et *ius personale* et *ius reale* dividunt in species, *primo* ratione obiecti, qua *jus reale* aut est *ius in persona* aut *ius in re*, et *jus personale* aut *ius ad personam* aut *ius ad rem* (§. X.). Species itaque et *iuris realis* §. XIV, et *iuris personalis*

sonalis §. X. positae et ad personas et ad res, personis oppositas accomodari possunt. Ex quo manifestum est, quid sit dominium personarum et dominium rerum, servitus personarum et servitus rerum, pignus in personis et pignus in re, ius in persona jacente et ius in re iacente. Et quae reliqua. Secundo ratione causae, qua et iura realia et iura personalia sumi possunt, quae sunt iura personarum (§. XVII.). Porro ratione causae *jura realia* sunt vel acquisitiones ex lege (§. XV.), vel iura aut mediante occupatione aut mediante traditione adquisita (§. XVIII.), et *jura personalia* aut ex quasi-contraetu (§. XV.), aut ex turbatione aut ex conventione deducta (§. XVIII.). Tertio ratione modi habendi et iura realia et iura personalia nobis aut personaliter aut realiter competunt. (§. XIX.) Sic e. gr. ius domino in famulo competens est ius reale, quod ratione obiecti ius in persona, ratione causae, ius personarum, et ratione modi habendi, jus personale. Ea, quae hac de redixi, hoc loco sufficiant.

MEDITATIO III.

DE
RELATIONE IURIS NATURALIS AD
IUS POSITIVVM.

S. I.

Jus naturae nobis hoc loco ea est scientia, quae ius naturae et ius gentium, de quibus in corpore iuris doctores loquuntur, amplectitur, id est, philosophia de bono et aequo, seu scientia, quae rerum ex notionibus ea, quae bona atque mala, seu iusta atque iniusta sunt, et in scopum perfectionis conservandae, quod doctoribus iuris romani est *jus naturae*. et in scopum augendae perfectionis, quod doctoribus illis est *jus gentium*,

rium, infert. Qua de re alio loco ^{a)} satis, ut opinor, dixi. Jam quaeritur, quaeam sit huius iuris naturalis ad ius positivum relatio. Qua de re ambiguitur. Per multi in ea sunt opinione, ius naturae esse ius subsidarium, quod tum demum, si ius positivum deficiat, quid iustum atque iniustum possit determinare. Porro multi sunt, qui iuris naturalis vel nullum, vel saltem exiguum in foro civili usum esse, sibi persuadent. Sunt tandem qui docent, ius illud naturale reliquarum legum scientiarum basin esse atque fundamentum. Nostrum non est, quae vtrinque objecta et re gesta, hic recoquere; paucis rationes, quae nos, ut ultimam ad sententiam accedamus, dicunt tantum exponemus, eandemque esse doctorum, qui ius romanum com posuerunt, sententiam sumus demonstraturi.

^{a)} In Observ. I. N. et Gent. Vol. I. Obs. III.

S. II.

Basis atque fundamentum scientiae omnino est id, quod ab eo, qui scientiam illam evolvere cupit, primo loco sumendum, cui reliqua, quae ponuntur, non debent repugnare, sed aut legitime ex eo fluunt, aut per id possibilia sunt, per alia vero, quae accedunt modo ad actum ducuntur. Sumas notionem, quam §. II. Med. I. de philosophia affert, et facile concedes, philosophiam de obiecto, circa quod scientia, quae sumitur, versatur, basin eiusmodi scientiae esse atque fundamentum. Philosophus enim de eiusmodi obiecto format notionem, notionum construit nexus, et inde infert affectiones quas res illa habere debet, et per alia, quae accedunt, habere potest. Quum itaque ex primis philosophorum principiis notum est, inter vera et legitima non esse referendum, quod rei, de qua sermo est, notioni repugnat: consequens est, ut philosophia

losophia de obiecto cuiuslibet scientiae, quae eo de obiecto legitime construitur, sit basis atque fundamentum, (§. I.)

§. III.

Quum vero notio de obiecto non omnes, quae huic legitime competunt, affectiones determinet, licet ex ea, vt cum iis, quae per notionem determinantur, sint consentaneae perspiciendo manifestum est, philosophiam de obiecto permulta indeterminata relinqueret, ideoque non sufficere ad scientiam eo de obiecto perficiendam, sed ad hanc perficiendam necesse esse vt accedit historia, vt accedant ea, quae ab arbitrio dependent.

§. IV.

Adcommodamus ea, quae hucusque demonstrata sunt, ad iurisprudentiam, et facile erit perspicere relationem iuris naturalis ad reliquas legum scientias eam esse, quae sequitur. Jus naturae seu philosophia de iure est basis atque fundamentum reliquarum legum scientiarum. Jura quae voluntate, vsuque ponuntur ea, quae ius naturae ea de re docent, non mutant. Interpretatio juris arbitrarii fiat secundum ius naturae. Jus naturae ad perficiendam iurisprudentiam non sufficit, sed permulta indeterminata, libertati que hominum relinquit, indeterminata illa voluntas superioris ea ratione, qua ratio status iubet, determinat, eaque de libertate subditorum detrahit. Sic ius naturae voluntate superioris non mutatur, sed iurisprudentia perficitur. (§. II. III.)

C 3

§. V.

§. V.

Ea meditatio philosophica legitimam dat interpretationem L. 6. h. t. qua **VLPIANVS** veram iuris ci-
vili indicavit naturam atque constitutionem. *Jus ci-
vile est, inquit, quod neque in totum a naturali vel gentium re-
cedit, nec per omnia ei servit.* Itaque cum aliquid addimus, vel
derribimus juri communi, *jus proprium, id est civile, efficiamus.*
*Jus naturale vel gentium hoc loco significare philoso-
phiam de iure, ex iis manifestum est, quae Meditati-
one I. et §. I. huins meditationis exposuimus.* Id,
nec per omnia ei servit, hoc loco non potest involvere iu-
ris naturalis mutationem. Expressa enim lege a)
constitutum est, vt iura naturalia semper firma atque
immutabilia permaneant, et b) vt in omnibus rebus
praecipua sit aequitatis, id est, iuris naturalis ratio,
ita, c) vt, ubi aequitas evidens, id est, ius naturae
poscit, subveniendum sit. Sed iuris naturalis imper-
fectionem demonstrat. Ideoque sensus dicti est, ius
civile non mutat nec mittit ius naturae, sed quia ius
naturae non sufficit ad ius civile perficiendum, ius ci-
vile aliquid addit, id est, ea, quae ius naturae inde-
terminata relinquunt, determinat. Porro evolvas o-
mnes, quas *jus commune* habere potest, significationes, et
ex iis, quae §. IV. diximus, manifestum erit, eam
hoc loco sumendam esse significationem, qua ius com-
mune idem est, quod libertas naturalis. *Jus itaque
civile, quod ex sententia **VLPIANI** iuri communi ali-
quid detrahit, non sumit principia iuri naturali repu-*
gnan-

gnantia, sed libertatem naturalem limitat. Quae cum ita sint patet, VLPIANVM eandem iuris naturalis ad ius positivum docere relationem, quam §. IV. demonstravimus.

- a) §. II. Inst. de Jure naturali, legentium et civili,
- b) L. 8. C. de judiciis,
- c) L. 183. R. de R. I.

§. VI.

Juris itaque prudentiam docentibus potissimum incumbit 1) ut auditoribus philosophiam ea de re, de qua sermo est, id est, ius naturae perspicue ob oculos ponant. 2) ut ea, quae eiusmodi rei per notionem legitime determinantur ab iis, quae ea cum notione, iisque, quae inde legitime fluunt, consentanea quidem sunt, per notionem vero sumtam non determinantur, bene distinguant, 3) ut philosophiae moralis atque politices ope in eas inquirant causas, quae consentanea illa determinant, 4) ut fata rationesque, ut dicunt, status evolvant, ad eas detegendas rationes per quas ea, quae philosophia indeterminata libertatique hominum relinquit, ea, quae ponitur, ratione determinata sunt.

§. VII.

Ex eo perspicue adparet, *(philosophiam et historiam eruditum persicere doctum.*



CO-

COROLLARIA.

- I. Tres cognitionis humanarum gradus ponere, historicam, philosophicam & mathematicam non est convenientia. Philosophicae enim & historicar cognitionis notiones sunt determinationes fundamenti, mathematicae vero cognitionis notio determinatio obiecti.
- II. Omnis itaque cognition humana aut est philosophica, aut historica, aut e philosophica & historica composita. Ergo & mathematica cognition est vel philosophica vel historica.
- III. Negatio libertatis, quae est facultas cum contingentia formalis agendi, involvit negationem verae contingentiae.
- IV. Anima est ens simplex, inde tamen non sequitur, ut ratione quod anima occupat, sit punctum mathematicum.
- V. Jus occupandi non est jus in re, & occupatio potest esse modus adquirendi derivatus.
- VI. Offensio fieri potest ex iure defensionis, ideoque bellum offensivum inter bella defensiva referri potest.
- VII. Bellum itaque offensivum, quod ex iure defensionis geritur, salvo systemate civitatum justum esse potest.



3

VIRO
CONSULTISSIMO
OTTONI IOANNI GOTTLIEB
ZIMMERMANNO,
PHIL. DOCTORI ET I. V. LICENTIATO IUDICII AVLICI
CAMERALIS SUPREMI ADVOCATO
PATRI RESPONDENTIS
MERITISSIMO,
S. D. P.
PRAESES.



uantum ad excolendam legum disciplinam
adiumentum atque praefidum ius illud
universale, quod ius naturae et gentium
audit, afferat, omnes satis intelligunt, qui leges ad
prima sua principia revocare, nihilque, nisi certum de-
monstratumque admittere consueverunt. Neque pro-
fecto vanum illius iudicium est, qui dixit, ius romanum,
seu ius commune esse ius naturae et gentium, quod
quaedam modo, quae ius naturae et gentium indeter-
minata relinquunt, per hypotheses populi rationemque
status determinavit. Quia in re ex instituto elaborare,
et in gratiam **OPTIMORVM COMMILITONVM**, quos eru-
ditis subinde colloquiis et conflictibus exerceri utilis-
simum puto, progressu temporis tale, quale nunc exhibeo
specimen in lucem edere, quod unus ex illis publi-
ce e cathedra adversus dissentientes tuebitur, constitui.
Primum hocce specimen Juvenis excitatissimae indi-
lis, quem et diligentia, et elegans vitae genus a mul-
tis distinguunt, atque ad magna erigunt, filius Tuus,
VIR CONSULTISSIME, publice defendit. Gratulor
itaque **TIBI**, **VIR CONSULTISSIME**, de filio optimo.
Deus te servet quam diutissime incolumem, ut vberes
integritatis, omnesque amplissimae laudis fructus, quos
educatio vitae recte instituta, atque exulta assert,
id est, ut, filium tuum cum virtute fortunam adae-
quare, magis magisque fentias. Vale et amico
tuo fave!

D

DO-

DOCTISSIMO DOMINO RESPONDENTI
AMICO SVO PERDILECTO

S. P. D.


GEORGIVS FRIDERICVS WACHE,

Jurium Candidatus Oppositurus.



Па̄ς εσὶ νόμος ἐνεγκα μὲν καὶ διάγον Θεῶν, δογ-
μα δὲ αὐθεόπως Φερούμενον. Huius Marcia-
ni effati, quod ex eius libro I. Institutionum
quasi tabula et naufragio nobis servatum fuit, bene me-
mor, adgredieris, Amice Aestumatisse, materiam, quae
Accursii, Baldi, Bartoli, aut aliorum huius generis
homunculorum cerebellis originem debet. Laudan-
dum facinus! Sed cayreas debelles superbos. Nam
antiquitas est morosum animal, quod vindicat con-
temnū sui. Hoc erat primum, quod metuendum
Tibi: sed adsunt maiora. Etenim tam committendo,
quam omittendo peccasti in dissertatione *Tua*. Com-
mittendo, quia adhibuisti absurdam illam methodum
mathematicam in iuridica disputacione, adeo, ut ne
externa quidem neglexeris. Quid mentem distrahit
longa demonstratione? Cape memorialiter, et habe-
bis. Quid extorta illa definitione opus, quid I^{CT}o ex-
actae definitiones? non has, sed veritates in foro ad-
plicat masculus et robustus I^{CT}us. (Haec verba eru-
ebat quidam haud ita pridem publice. Sed o lepi-
dam caput! forte nimis distento ventre ac stomacho
legit verba lavoleni in lege 202. ff. de R. I. *Omnis de-*
finitio in iure periculosa est. Sed emunēto nāsō elegant con-
textum hi nāstulī et sapient; videbunt, lavolumen
non de logica definitione sed iuridica caussarum deci-
sione loqui.) Ast, mi *Vetule*, et o mittendo peccasti.
Sed de omisivo peccato angusti temporis et spatii causa-
sa in subsellis coram. Jam vero *Amice praestantissime*,
nil aliud superest, nisi vt *Tibi* laetam hancce occasio-
nem gratuler, ubi publico specimine in cathedralm ad-
fēcētūrūs praeclaras animi dotes excutere, atque ubi
osten-

ostentare potes, Te talem esse, qualem Te omnes boni
iam dudum indicarunt. Ad me quod attinet, grates
Tibi ex animo solvo pro Opponentis Sparta tam be-
nigne mihi demandata. Faxit ceterum Deus immor-
talis, ut ex voto Tibi procedant omnia, concedat se-
minibus, quae ex omnibus scientiarum campis colle-
gisti, laetissimam segetem, Teque in spem Tuorum et
Reipublicae servet. Quod ultimum est, vive felici-
ter, et amicitiam erga me Tuam et in futurum proro-
ga. Vive atque vale! Dabam in Viadrina d. XXIII.
Febr. MDCLXV.



VIRO PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI
DOCTISSIMO AMICO SVAVISSIMO

S, D. P.

IOANNES THEOPHILVS SCHVLTZE, Neom.

IVRIVM CANDITATVS, Opp. Ord.

Rationes, quas ad iurisprudentiam tam bene subducis, etiam at-
que etiam edocent, quanto post Te, Respondens doctis-
sime, relingas intervallo, qui in alia omnia sentiunt. Ipse Ti-
bi non satisfaci legitimas scientiae clementia primis utcunq; de-
gustasse labris: ibis in imo risera et palmarum in medio positam oc-
cupabis. Evidenter contemnunt hoc animo nuelles et ignavi, sed vir-
tuti nil arduum

gaudet patientia duris.

Descendes itaque in arenam, quoniam non nisi oleo indignus odi-
se poscas, in cathedram inquam, ubi coerat, qui veram non simu-
laturam philosophiam sequatur. Ego Vir Praenobilissime, pro-
gressus tam mature factos merito gratulor, et quemadmodum nul-
lus dubito fore, ut bi aliquando in silentem parvae, Tuam et fa-
miliae honoratissime cedant, ita Vobis omnibus quaecunque fausta
omni qua decet observantia ex animo appreco. Dabam in Vie-
drina die XXIII. Febr. MDCLXV.

NOBI-

NOBILISSIMO arque DOCTISSIMO DISSERTATIO-
NIS HVIVS DEFENSORI

S. P. D.

S. E. SITKOVIVS. Opp. Ord.


Maximum inter solidam Eruditionem, et vanam Eruditolorum
laetantiam esse Discrimen, probe semper perspectum habuisti.
Tesses sunt omnes, quibus Te penitus cognoscere, contigit Fortuna.
Publice iam Cathedram confundis, ut demonstratum dares quantas
Tibi in Iurisprudentia cum Philosophia bene coniuncta comparaveris
Divitias. Gratulor Tibi anenitus de acquisitione sapientia thesau-
ro, quo viam Tibi paras ad honores. Fauxit Nomen divinum,
ut in Decus Familiæ Tuæ, ac rei literariorum ornamentum floreas
quam diutissime. Fruere omni felicitate, qua suos diligentia re-
munerat Cultores. Vale, meique memor vive. Dabam Francof.
d. XXIII. Febr. M DCC LXV.

VIRO PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI DOCTIS-
SIMO, AMICO PER QVAM DILECTO.

S. D. P.

ALBERTVS HENRICVS ab ARNIM.

Nihil mihi sane opatius, nihil lastius cadere posuisse ac praesens
occasio, qua mihi publice contestari licet, quod meus Tibi de-
iunctissimus amicus iam dudum sensit quanti Te semper feci. Mihi
fortunae benignitate contigit, ut Te iam Berolini studiorum meorum
comitem et suavissimum sovium nanciseerer. Hic fuit locus ubi
dulcis amicitia nostra, ex qua mutuo erga nos invicem amor ex-
ardefecit, confirmata et huius natalis amicitiae nostrae soli ita ipsa
memoria recreor, ut Berolinum vel eo solo, quod mihi veri nominis
amicum dederit, gratum esse videatur. Sed fortuna benignior: quem
ex conspicu ex amplexu meo amoverat, eum praecor spes et expecta-
tionem reddit amicum, ita sublimiori hac scientiarum sede Te dulcissime
amico rufus mihi licet amplecti, quom id per totam fere vitam vix
fore putarem. Mactum Te virtute reddit, mactum diligencia et pro-
elaria animi dotibus ornatisissimum confendere Te video cathedram, O-
mnibus publice ostenturum, quod dignus es, quero omnes colant et
venerentur. Gratulor Tibi ex animo progressus felicissimos. Dum
quo immortalem precor, omnibus quae agis, quaeque ages in poste-
rum velit adesse. Quod reliquum est, amicitiae nostras mutuae, quam
nulla unquam temporis iniuria turbet et overterat, semper velis esse me-
mor et officias rogo ut in dies maiora capiat incrementa. Vale, Fran-
cofurti cis Viadrini die XXIII. Febr. M DCC LXV.



ULB Halle
004 393 171

3



f TA → D
nu 1+10 Stück verknüpft



Farbkarte #13

MEDITATIONVM
AD
PANDECTAS
QVIBVS
**AECIPVA IVRIS
PITA EXFONTIBVS
ILOSOPHICIS EX-
PLICANTVR**

S P E C I M E N I

PRAESIDE

IOACHIMO GEORGIO DARIES
POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIS INTIMIS
IVR. ET PHILOS. DOCTORE IN ILLVSTR. VIA-
DRINA IVR. ATQVE PHIL. PROF. PVBL.
ORD. SENATVS ACAD. SCIENT. VTL.
ELECT. MOG. ASSES. ORDINA-
RIO &c. &c.

IN AUDITORIO IURIDICO

D. XXIII. FEBR. M DCC LXV.

DEFENDIT

GOTTHOLD FRIDERICVS THEODORVS
ZIMMERMANN
Saxo Electoralis.
PHIL. ET IVR. CVLTOR.



FRANCOFVRTI CIS VIADRVM,
Typis M. HVEBNERI.

